

thol. spec.

737<sup>m</sup>

10. Heft 133





207.  
GENERALIA  
MEDICO - PRACTICA  
IN  
MORBOS  
CHRONICOS:

---

IN USUM  
MEDICORUM NEOPRACTICORUM

EDIDIT

BERNARDUS JOSEPHUS REYLAND  
MEDICINÆ DOCTOR; CONSILIARIUS MEDICUS  
SERENISSIMI ELECTORIS BAV. PALATINI,  
PRÆSIDII ELECTORALIS DÜSSELDORPIENSIS  
PHYSICUS ADJ. AC CONS. AUL. BYPONT.  
MEDICUSQ. PRACTICUS DÜSSEL-  
DORPIENSIS.

---

DÜSSELDORPII  
APUD J. H. C. SCHREINER  
1795.

3

867.

Patrol

Matth. J. J. J.

GERMANY  
MEDICO PRACTICA  
IN  
MORBOS  
GHRONICOS

---

IN  
MORBOS  
GHRONICOS  
BIBLIOTHECA  
MORBOS  
GHRONICOS  
BIBLIOTHECA  
MORBOS  
GHRONICOS  
BIBLIOTHECA  
MORBOS  
GHRONICOS  
BIBLIOTHECA

---

GERMANY  
MEDICO PRACTICA  
IN  
MORBOS  
GHRONICOS

1717

ILLUSTRISSIMO, ERUDITISSIMO

AC CLARISSIMO DOMINO

D. LAURENTIO

DE FISCHER

Phylosophiæ ac artis Medicæ Doctori,  
Serenissimi Electoris & Principis Palatino-  
Bavari Archiatri, Consiliario intimo, ac  
Protomedico, Electoralium Collegiorum  
Medicorum Directori, artis obstetricalis  
Professori publico, urbis Manheimiensis  
Phyfico &c. &c.

IN

PERPETUUM ÆSTIMATIONIS

MONUMENTUM.

ILLUSTRISSIMO; ERUDITISSIMO

AC CLARISSIMO DOMINO

D. LAURENTIO

DE PISCHE

Philosophiae ac Juris Magister Doctor  
Sacrae Theologiae in Principis Palatio  
Bavariae Archiepiscopi, Consistorio, in  
Patronatus, Klostermann, etc.  
Medicorum, etc.  
Hortensii, etc.

FRATRI  
MAGISTRO



*Illustrissime, Doctissime,  
ac Summe colende Vir!*

**A**nimatus fiducia, qua **TIBI, VIR  
CLARISSIME!** opusculum hocce dedi-  
care licet, inseribo id **TIBI** ceu certis-  
simum illimitate meæ in te observantiæ,  
supremæque reverentiæ pignus.

Quid augmenti hac dedicatione honori  
meæ, quid ponderis huic ipsi opusculo,  
utut levi, accedat, demonstrare super-  
fedeo; cum tanta **TUA** in artem medi-  
cam, tanta quoque in patriam sint meri-  
tæ, illaque tam percognita, ut dignum  
illorum hic præconem agere non solum  
superfluum foret, sed mearum haud sit  
virium; quo simul **TUA** singulari mo-  
destia prohibeor.

A 3

En

En igitur libellum , TIBI, VIR IL-  
LUSTRISSIME ex intimo corde devo-  
tum! Respice non tam oblatum, quam  
offerentis animum! Et specimen hocce  
meæ in TE observantiæ pro humanitate  
TUA sponte suscipe, simul me ul-  
teriori TUA benevolentia censeas  
non indignum

*Illustrissime ac clarissime*

*Vir*

ad cineres usque observantissimus,  
ac obsequiosissimus

B. J. REYLAND.

PRÆ-

---

# P R A E F A T I O

A D

L E C T O R E M .

*Trado hic tibi benevole Lector! Principia quædam generalia practica in Morbos chronicos. Fateor hæc ut plurimum præcepta illustrissimi Præceptoris mei, defuncti Stollii esse. Quæ vero tam vera, & in natura fundata, ac non minus utilia esse in praxi mea observavi, ut per hæc neopracticis haud superfluum præstare officium crediderim.*

A 4

Causas

*Causas morborum chronicorum, in classes quasdam disposui, unde magnum illud in praxi fuit commodum, quod memoria medici adjuvetur, sicque minus facile confundatur, ac indicatio curatoria & medendi methodus facilius determinetur, atque sic ordine indagari possit in casibus oblatis, qui frequentissime junioribus medicis occurrunt.*

*Tanta cum difficultate præterea non raro certæ in his morbis indicationes habentur, proinde & curationes ideo difficiliore redduntur, ut non inutile fore existimaverim, si illos assignarem fontes, e quibus magno tum medici, tum ægrorum solatio curativas in Casibus intricatissimis*

*indi-*

*indicaciones feliciter haustas observavi, ne in horum morborum Curatione, deficiente uno fonte, Medicus illico ægrum deserat, fatoque suo relinquat, sed ad alium pro officii sui exigentia & ægri consolatione sese convertere possit. — Junioribus medicis plerumque primis temporibus, quibus artem suam exercere incipiunt, multi morbi chronici curandi occurrunt intricatissimi, quibus haud aliter cum honore & ægri solatio se extricabunt, quam si varios in libello hoc enumeratos fontes, e quibus indicaciones, & simul indicata hauriuntur, sibi cognitos reddiderint. —*

*Spero ergo hosce canones generales circa  
curam morborum chronicorum non sine  
fructu in usum neopracticorum in compen-  
dium hocce redactos fore ; illosque vere  
eruditis in arte viris non displicituros esse  
confido.*

---

ELEN-

8

ELENCHUS.

CAPUT I. §. I.

*De morbis chronicis generatim.*

CAPUT II. §. VI.

*De causis morborum chronicorum in genere.*

CAPUT III. §. XIV.

*Unde indicationes generales in cura morborum chronicorum derivandæ.*

CAPUT IV. §. XXVII

*Quid ad prævertendum relapsum morborum chronicorum prægressorum agendum.*


CAPUT

CAPUT V. §. XXXII.

*Canones practici circa curam morborum  
chronicorum.*

CAPUT VI. §. XXXXIII.

*Regulæ dieteticæ in morbis chronicis  
observandæ.*



CAPUT



CAPUT I.

*De Morbis chronicis generatim.*

§. I.

**G**ræci univèrsim morbos in duas Species diviserunt, in *acutos* nempe, & *longos* seu *chronicos*. Divisio hæc ad nostra usque tempora transit, eademque manfit. Videmus quippe morbos non semper eodem modo respondere: alii enim intra breve spatium decurrunt, vel cito ipsi finiuntur, vel cito mortem adferunt, alii non nisi intra longum tempus absolvuntur; primi *acuti*, hi *chronici* dicuntur. Chronicus ergo morbus ille est,

est,

est, qui tardo passu, cum vel sine periculo progreditur.

§. II.

Patet ergo ad morbum acutum duo ponenda esse, nempe: celerem decursum & simul periculum. Decursus vero tardus præscindendo a periculo morbum chronicum determinat. Celsus hunc definit „sub quo neque sanitas in propinquo, neque exitium est.” Febres ad morbos acutos pertinent; intermittentes quoque ut plurimum ad chronicos morbos non recensendæ. Quæ ultra 100 vel 120 diem excurrunt ad chronicos relegandæ sunt: hi enim dies ultimi critici ab Hypocrate statuuntur.

§. III.

Morbi chronici duas tertias morborum efficiunt. *Sydenhamus* unam tertiam tantum efficere asserit; sed fere solos morbos acutos

tos

tos tractandos habuit: unde & vulgo febris-medicus (der Fieberdoftor) dictus. Interim experientia docet, morbos chronicos frequentiffimos effe; ac magna tædia agris, non minus medicis facere. Monuit hoc *Aretæus*, dicens: „longorum morborum labor quidem multus, tempus vero colliquationis longum, & medicatio instabilis: vel enim haud ex parva offensa revertuntur morbi, nam laborantes æquo animo ferre usque ad finem non sustinent, in nimis longa diæta delinquunt.”

#### §. IV.

Morbi chronici non solum frequentiores acutis occurrunt, sed etiam curatu longe difficiliore sunt. Hujus difficultatis ratio in eo quam maxime ponenda erit, quod in morbis chronicis medicus certas indicationes difficillime inveniatur; tum quia non raro accurato licet factò examine non nisi inexacta

ex

ex ægro potest erui morbi historia; unde fit, ut morbi natura, indoles, causa medico occulta sæpe maneat. Difficultatem hanc auget sæpius ægrorum impatientia, quam etiam notavit *Aretæus* textu supra citato, qua hi in usu sat longo remediorum ad medici mandatum minus obsequentes sunt, aut in nimis longa diæta delinquent. *Celsus* \*) quidem iudicat „magis esse ignoscendum medico parum proficienti in acutis, quam in longis; in illis enim breve Spatium est, intra quod, si quod auxilium non profuit, æger extinguitur, in his & deliberationi & mutationi remediorum, tempus patet, adeo ut raro, si inter initia medicus accesserit, obsequens æger sine illius vitio pereat.” Verum recte respondet *Cloffet*, binas conditiones ad felicem curam morborum

---

\*) L. 3. Cap. I.

borum chronicorum a *Celso* in hoc textu requisitas, scilicet accessum medici intra initia morbi, & ægri obedientiam raro in casibus medico oblatis reperiri; plerumque enim morbus chronicus more solito lente subrepens jam altas sæpe radices infixit, antequam medici auxilium imploretur, & cum *Aretæo* cæteri practici de ægrorum impatientia & inobedientia in plurimis casibus conqueruntur; insuper in morbis acutis motus febrilis materiam morbosam coquit, subigit, evacuationi aptam reddit, quod in chronicis, in quibus vix non semper vires languent, vix sperari potest. Ex quibus ponderatis apparet majorem difficultatem in morbis chronicis curandis esse, quam in acutis, quod experientia, & Comparatione morborum chronicorum cum acutis certe comprobatur. Profecto multi chronici morbi plane non curantur: sunt plurimi, quorum causæ, & oculatissimum etiam medi-

B

cum

---

cum effugiant: Sunt quorum causa cognita quidem habetur, sed tanta est ægri morositas vel perfunctoria agendi ratio in medico, ut morbus talis per se curabilis non curetur. Occurrunt in praxi medico ægri, qui morbum potius ferre amant, quam medicamenta tanto tempore sumere.

§. V.

Posterior ætas in cura morborum acutorum priores superat; ast antiquitatem in curandis chronicis feliciorum fuisse, negari nequit.

---

CAPUT

## CAPUT II.

*De causis morborum Chronicorum  
in genere.*

## §. VI.

Generaliora solum hic de causis morborum chronicorum perstringo. De specialibus plurimi authores, dum singulos morbos hofce pertractarunt, optime differabant. Causæ morborum chronicorum vel externæ vel internæ sunt: videlicet *gesta*, *ingesta*, *excreta* & *retenta*, *applicata externa*, *morbi prægressi acuti*.

## §. VII.

*Gesta*: hinc morbi artificum opificumque: textores V. G. scabie, cacochymia scabiosa, scorbuto, tuffibus longis, herpete, ulceribus crurum, pthysi laborant:

B 2

Sar-

Sartores difficili respiratione , Semipthyr-  
 fico pectore : Sutores intropresso pectore ,  
 ictero , alvo rara , cacochymia biliosa , vis-  
 cerum abdominalium morbis longis rebel-  
 libus , & si intermittentibus infestentur ,  
 quartanis , quæ pertinaces esse solent : Lo-  
 tricibus peripneumoniæ familiares sunt. Sic  
 litterati homines ut plurimum mucosis & ab  
 obstructionibus viscerum abdominalium ori-  
 undis morbis laborant ; hypochondriaci ,  
 ventriculi læsione , hæmorrhoidibus &c. \*)

### §. VIII.

*Ingesta* : V. G. morbi infantum ex in-  
 fima plebe pulva crassa factorum , pastorum  
 pane male subacto , fructibus horæis au-  
 steris :

---

\*) v. Ramazzini Abhandlung von den Krankh.  
 der Künstler und Handwerker. Neu bearb. und  
 verm. von J. G. Ackermann. 2. B. 1783. 8.  
 v. Plenck compend. institut. chyrurgi-  
 carum.



steris : Morbi, qui ab abusu medicamentorum prophylacticorum proficiscuntur V. G. Cathartorum abusu, præsertim aloeticarum, abusu venæsectionum; &c.

§. IX.

*Excreta* : Jactura nimia studiorum protractione spirituum; salivæ deperditio ab abusu nicotianæ; jactura feminis, sanguinisque nimia; &c.

§. X.

*Retenta* : Alvus, urina, perspiratio sanctoriana retenta; sudores pedum retropressi, non minus ulcera veterata fluentia siccata; fluores sanguinei consueti malo usu stipticorum, aliorumque retenti; &c.

§. XI.

*Applicata* : Vestes nempe sæpius morbos chronicos sat vehementes producunt. Sic compressio imprudens capitis in recens

B 3

natis,

natis, vel & junioribus perpetuæ stultitiæ & convulsionibus originem dedit. Colaris nimia adstrictio narium hæmorrhagiam frequentem & cephalæam diuturnam produxit testante *van Swieten*. Plurima mala quoque a constrictione sola abdominis per thoraces rigidos arctioresque in sequiori sexu observata. Huc etiam morbi referendi ii, qui aeri adscribendi sunt, ut mephitico, frigido; &c.

## §. XII.

*Morbi acuti progressi*: Vix ulla autem tam fertilis chronicorum causa, quam morbus acutus prægressus. Hic enim vel neglectus, ut in plebe sæpe fit, vel male medicatus, vel bene etiam curantus, sed in quo neglectum est convalescentiæ tempus. V. G. mensium anomaliam sæpe ex eo proficiuntur, quod cura confirmatoria fuerit neglecta. Chlorosis & similia mala, quæ  
fibrae

fibræ debili debentur, si in ea inquiramus, sæpe tempus reconvalescentiæ reperimus neglectum, curamque confirmantem non fuisse adhibitam. Sic in iis fit, qui mox ad labores, ad servitia redire coguntur, antequam sanitas a morbo prægresso confirmata est.

### §. XIII.

*Boerhavius* causas internas ad duo generalia capita refert \*), ait enim „morbi chronici, si in corpore nati, ortum duxerunt vel ex vitiis liquidorum sensim natis, vel ex vitiis relectis a morbis acutis non bene sanatis.” Prima vitia ex triplici fonte decivatur: Scilicet

Imo. Ingestis, aere, cibo, potu, condimento, medicamento, aut etiam veneno,  
tam

---

\*) V. Aphorism. de cognosc. & Cur. Morb. §. 1050.

tam alienis ut nostris humoribus similia non sint, tam validis, ut vi nostrorum viscerum humoribus nostris assimilari non possint:

II do. A viribus nostris nimis in ingesta:

III tio. A spontaneis humorum nostrorum vitiosis permutationibus; quos fontes fusius explicat *van Swieten* in suis commentariis. Vitia a morbis acutis non bene sanatis dividit in duas classes, scilicet in vitia solidorum & fluidorum. Præcipua inde orta humorum vitia juxta *Boerhaviium* sunt: purulenta, ichorosa; putrefacta. Vitia solidorum sunt abscessus; fistulæ; empyemata; schirri; Canceri; Caries.

*Tissotus* \*) quatuor generales morborum chronicorum fontes assignat: nimirum:

Imo. Congenitam aut acquisitam ex variis causis solidorum debilitatem:

II do.

---

\*) *Avis aux peuples*. §. 592 ad 605.

---

II<sup>do</sup>. Læsam digestionem & debilitatem partium digestionem inservientium :

III<sup>tio</sup>. Vitia post morbos acutos male aut imperfecte sanatos relicta, quæ vitia irerum duas in Classes partitur; sunt enim vel cacochymia massæ universalis humorum, vel morbus cujusdam partis particularis V. G. indurationes, obstructions &c.

IV<sup>to</sup>. Nimiam mobilitatem Systematis nervosi, ex quo ultimo fonte ultra dimidiam morborum chronicorum partem ortum ducere asserit. —

---

## CAPUT III.

*Unde Indicationes Generales in cura morborum chronicorum derivandæ.*

## §. XIV.

Quid in arte medica vocatur *Indicans*?  
 Dicitur id, quod in ægro aut circa ægrum per sensus, aut accurato ratiocinio a medico deprehenditur: Idea ab indicante in mente medici orta circa ea, quæ agenda aut omittenda sunt, *indicatio* audit; illud vero, per quod medicus indicationi ex indicantibus ortæ satisfacere potest, *Indicatum* nuncupatur. Lucidalo rem exemplo: pono V. G. hominem febre biliosa laborantem, qui conqueratur de febre quotidie exacerbata, valida cephalalgia, oris amarore, anorexia, nausea, vomitione, & hæc omnia symptomata *indicantia*

*cantia* dicentur; ex his in medici adstantis mente oritur idea Saburræ in ventriculo hospitantis expellendæ; hæc idea *indicatio* appellabitur; huic indicationi fatisfacere poterit per vomitorium, quod in hoc casu *indicatum* erit.

### §. XV.

Medico practico quadruplex Officium imponit: Scilicet

I. Imo. Operam dare debet, futuros morbos præcavere;

II. Ido. Morbos præsentis tollere;

III. Ido. Morborum sublatorum recidivam prævertere;

IV. Ido. Morborum non tollendorum urgentiora symptomata quantum fieri potest mitigare.

### §. XVI.

## §. XVI.

Hinc ex hisce quatuor punctis bene perspectis quadruplex quoque oritur in mente medici indicatio :

Ima. Nempe, quæ circa morbos præcavendos versatur, & dicitur, *indicatio prophylactica, præservativa*;

IIda. Quæ circa morbos præsentis fanandos occupatur, & est *indicatio curativa*;

IIItia. Quæ versatur circa morborum sublatoꝝ recidivam præcavendam, & appellatur *indicatio confirmatoria*;

IVta. Cujus scopus est morborum non tollendorum urgentiora symptomata mitigare, & *indicatio palliativa* audit, de hisce hic speciatiim agam.

## §. XVII.

*Indicationi præservativæ, seu prophylacticæ, utut sæpe non difficulter exequendæ, satisfaciet medicus, qui ex intellectis pathologiæ*

logiæ



logiæ principiis, cognitâ sibi morborum causas occasionales avertere, aut causas prædisponentes ita corrigere conabitur, ut corpus data occasione minus aptum sit ad malum suscipiendum. Sic adeo metuendam schirri in cancrum de generationem præcavebit, qui causas motus humorum nimium aucti avertet suadendo abstinentiam a stimulantibus, diætâ parcâ, quietem corporis, animique &c. Simili quoque modo plurimos morbos chronicos is prævertere valebit, qui conatam aut acquisitam solidorum debilitatem, (quam *Tissotus* inter Causas excitantes frequentiores ponit) exacta diætâ, debitisque auxiliis corrigere conabitur.

### §. XVIII.

Plus difficultatis ad exequendum secum fert indicatio secunda, nempe *curativa*. Certas enim indicationes curativas formare,

&

& formatas in actum redigere plerumque hoc opus, hic labor est. Quilibet in arte medicus expertus practicus veritati hujus asserti facile subscribet: Sæpe enim contingit, ut perquam peritus etiam medicus, utut accurate perpensis omnibus circumstantiis, anceps tamen hareat, & quam in partem sese convertat, nescius. Ast minus tamen quilibet errabit, qui regulas hic expostas sibi cognitatas reddiderit, hasque fecutus fuerit.

§. XIX.

Et hæc indicatio sat sæpe haberi potest, *ex cognitione causæ proximæ tam prædisponentis, quam excitantis; quas Causas antea exposui.* Hinc ut hæc indicatio formari queat, ad has atque alias etiam excitantes causas animus advertendus est. Sit E. G. Epilepsia, sed homo habeat tophum a lue venerea; hic causa prædisponens

nens

nens nota est, & sublato topico epilepsia curatur, quia cerebrum non amplius comprimitur, nec irritatur.

§. XX.

Ast interdum medico in praxi morbi chronici occurrunt ita intricati, ut sese cum honore, ægrique consolatione non extricare valeat, ni sequentibus regulis obediat.

Inquirat primo in morbi causam ex ordine supra memorato; hanc si invenerit, & methodo conveniente sustulerit, optatum hoc modo assequitur scopum. Rem dabo exemplo: Si medico e. G. offeratur puer epilepticus a vermibus reptatu suos intestinorum nervos irritantibus, hacque ratione per sic dictum consensum nervorum insultus epilepticos excitantibus, in hoc casu medicus aptis remediis nidos vermium destruendo, vermes necando, & e corpore elimi-

limi-

eliminando morbi causam excitantem cum morbo ipso auferet. In infantibus quibus manans ichore Capitis cutis ficcata fuerat, optimum erat caput fovere, & leviter irritare, ut consuetus per cutim exitus rediret; sic profuit lixivio saponis veneti calido caput fovere, dein emplastro aromatico tegere, quin imo profuit egregie, si una pars emplastri vesicatorii octo partibus emplastri de labdano permista supra totam cutim capillatam capitis extenderetur; post paucas enim horas incipiebat rubescere cutis, molestus oriebatur pruritus, & incipiebat denuo manare ichorem cutis, simulque statim cessabant insultus epileptici. \*)

§. XXI.

Contingit nihilominus, ut peracto licet accuratissimo ægri examine cognitio causæ  
tam

---

\*) V. van Swieten Comment. §. 1083.

tam excitantis quam prædisponentis incognita maneat. Quid tunc agendum medico? Inquirendum, an præter hunc morbum *aliud adsit vitium* certis signis cognitum; & si adsit, huic medicina paranda est, atque sic sæpe incognitus etiam morbus tolletur. Contingit enim quandoque, ut sublato hoc certo vitio, quamvis nexum illius cum altero morbo non perspiciamus, morbus tamen alter simul dispareat. Sit V. G. Epilepsia, causa prædisponens, excitansque ignota, sed vides adesse aliud vitium, debilitatem nempe, laxam compagem: Cura hoc vitium methodo conveniente, & sperare licebit, te chronicum incognitum etiam morbum curaturum.

### §. XXII.

Si vero peracto examine nec prædisponens, nec excitans causa in lucem veniat, si præterea nullum in corpore deprehenda-

C

tur

tur vitium, tunc *ad Juvantia & nocentia*, utpote indicationum fontem uberrimum, confugiendum erit. Interrogandum nempe est, an usus æger sit medicamentis & quibus, & quo emolumento, vel detrimento? an nunquam adverterit causas, quibus morbus mitigaretur, aut exasperaretur? Ex hoc fonte sæpe indicationes certæ uberrime fluunt, quas omnibus aliis indicationibus tam in acutis quam in chronicis medici præferunt. Sit V. G. cephalea, dicat æger eam mitiorem esse alvo laxa, pejorem dura, hinc indicatio formari potest. Sint E. G. Ulcera nullis signis characteristicis determinata, curæ ordinariæ rebellia, pulvere mercuriali mundari incipientia, a juvante mercurio concludi potest ad methodum anti-siphiliticum. Sit puella rite menstruata vertigine, palpitatione cordis correpta, morbo per venasectionem aucto, a nocente

ad

ad martialia roborantia ducar bono cum eventu.

§. XXIII.

Sed si hic quoque fons sedulo indagantem medicum deserat; videndum *quarto* an morbus incognitus habeat *aliquam affinitatem* cum alio morbo cognito, cujus medendi methodum ad incognitum analogum transferes. V. G. homo omni tertio, quartove die spasmodica corripitur periodo, cæterum sanus est, de causa nil constet; vides eum habere aliquam affinitatem cum febribus intermittentibus: hinc dabis corticem, & curabis morbum larvatum periodicum. Tali modo liberavi ante aliquot dies militem in Zenodochio militari de cephalalgia valida omni altero die periodice redeunte. Præterea laborat quis V. G. Arthritide vaga, illa cessat post aliquot dies vel septimanas; convellitur per plures sæpe

C 2

dies

dies, & ubi hæ convulsiones aliquamdiu duraverint, redit denuo arthritis; & mutus talis transitus efficit, ut medicinam anticonvulsivam antispasticam ex remediis antiarthriticis repetas. Sic arthritidem in Choream St. Viti alternasse vidit cl. *Stoll*. Sic rheuma in dyssenteriam abiit deposita ad intestina materia &c.

Casus talis memoratu hic dignus observatus est Viennæ in Nosocomio S. S. Trinitatis: Tempore autumnali, quo frequentes grassabantur febres intermittentes, laborabat quisquam colica omni die circa horam secundam pomeridianam redeunte; indicatione desumpta ex hoc fonte ægræ (puellæ nempe) præmissis præmittendis propinabatur cortex peruvianus, & multa dein alia antihysterica, quibus morbus parum imminuebatur quidem, ast non curabatur. Puella vero diurnæ curæ per-tæsa proinde nondum sanata e nosocomio

dis-



discessit. Paulo post denuo rediit cruciata  
iisdem doloribus colicis, & simul cum bũ-  
bone venereo tum temporis orto; huic  
tunc mercurialia præscripta fuerunt, qui-  
bus utrumque malum brevi fugatum fuit.  
In hoc casu non apparente bubone venereo  
difficile fuisset indicationem desumere ab  
analogia cum doloribus venereis, cum hi non  
post meridiem, sed noctu recurrere soleant,  
quamvis in doloribus nocturnis insolitis,  
indicatione desumpta ab analogia cum do-  
loribus syphiliticis sæpissime mercurius cum  
optimo successu a practicis præscribatur. —

#### §. XXIV.

Contingit nihilominus, ut quatuor hi  
fontes medicum in praxi deserant; Quor-  
sum sese tum convertat? Quid hic agen-  
dum? Quo modo morbum debellabit? Su-  
perest tunc adhuc una via, in qua morbo  
obviam iri potest, hicque nonnunquam

Vincitur. Est hac nempe *rationalis quædam Empyria*; licet ratiocinium non ex cognitione causarum proficiscatur, talia præscribes, quæ ipfemet in talibus casibus feliciter adhibita esse vidisti vel legisti, quamquam modum agendi ignores. Empyria tali ductus propinabis medicamenta univèrsim in morbo quodam certo laudata E. G. in epilepsia, cujus causa tibi incognita manet (quod in hoc morbi genere frequens est) ubi nullum quoque in corpore vitium detegere, nec ullam indicationem a juvantibus & nocentibus desumere vales, rationaliter propinabis specifica sic dicta medicamenta antiepileptica, V. G. folia aurantium, radicem valerianæ sylvestris, radicem dictamni albi, extractum hyosciami, flores Zinci, & cætera, quæ ex materia medica & lectione fidorum observatorum in hoc morbo profuisse medicus noverit. Talis empyria medico dedecori minime erit,

erit, cum non sit, empyria cæca, sed sufficiente ratione fundata. Attamen adverte & hic semper ad regulas pathologiæ; vires remedii notas comparacum circumstantiis corporis ægroti; si vides nociturum, emitte: fit enim tibi regula hæcce practica alte semper infixæ:

*Si prodesse non potes, fac ne noceas,*

§. XXV,

Neceffe tamen est, ut medicus remedia sic dicta specifica (utut stricte talia non dantur) caute & bene seligat: nam indifferens non est, utrum hoc vel illud remedium ex classe specificorum in praxi adhibeat. V. G. in lue venerea universim tanquam remedia specifica laudantur mercurius vivus & omnia ejus præparata: noceret certe sæpius medicus, si cæce sine habita attentione ad regulas artis, ad constitutionem corporis ægroti, ad vim medicamenti

mer-

mercurialis, primum hujus præparatum, quod ipsi in mente venit, præscribat. Nocebit enim plerumque mercurius sublimatus corrosivus in lue recenti, in corpore gracili, plethorico, phlogosi obnoxio, in hysteriis, gravidisque. Idem valet de multis aliis. —

### §. XXVI.

Notandum adhuc est, occurri in praxi medico interdum morbos chronicos nullo huiusque recensito modo perscrutandos: An hic medicus de recuperanda sanitate plane desperare debet? Neutiquam. Natura enim interdum sola plus efficit, quam ars, & morbos arti rebelles, aspectuque incurabiles nonnunquam sola vincit. Sic sæpe observatum est epilepsiam ad artis remedia omnino pertinacem post evolutam pubertatem evanescere. Morbi quidam inveterati, nullis remediis obedientes, V. G. rheumatismi

tismi chronici, paralyfes, maniaë, icterus, &c. accedente febre intermittente perfecte fanabantur. —

---



---

C A P U T IV.

*Quid ad prævertendum relapsum morborum chronicorum prægressorum agendum.*

§. XXVII.

**N**on sufficit morbos chronicos curare, opus etiam est, ut medicus, qui ægrorum suorum bonum cupit, (quod unicujusque officium est,) recidivam horum morborum omni modo prævertere fataget. Neglecta enim horum morborum cura confirmatoria, facillimus est in eosdem relapsus, quo majori periculo æger exponetur, & cujus curationem multo majori cum difficultate,

C 5

quam

quam curationem morbi primarii absolvet medicus. Viribus nempe debilitatis natura succursum illum præstare non valebit, qui ab ea requiritur ut morbus secundarius vincatur.

§. XXVIII.

Ad scopum hunc assequendum medicus bene iterum perpendere debet morbi prægressi indolem, causasque ejusdem excitantes; quibus bene ponderatis indicata huic scopo satisfaciunt sponte fluent. Sic V. G. si fluorem album chronicum in foemina vitam sedentariam vivente, ortum a mucositate humorum & laxitate solidorum, curandum habueris, eundemque usu remediorum incidentium & simul solida roborantium sustuleris; hujus recidivam præcavebis continuato adhuc per aliquot tempus usu remediorum roborantium, victu facilis digestionis, potu vinoso moderato, exercita-

citatione corporis, somnum nimium, ab-  
 usumque potuum aquosorum, tepidorum,  
 utut solida relaxantium, interdicens &c.  
 Similiter curati hydropis recidivam præver-  
 tes vitando sollicitè alimenta dura, flatulen-  
 ta, indigestibilia, potum largiorem tepi-  
 dum, aerem frigidum calidumve humidum,  
 habitationem humidam in locis paludosis,  
 & omnia ea, quæ causis hydropem excitan-  
 tibus favent; cujus loco præscribes mo-  
 deratum corporis exercitium in aere sicco,  
 libero campestri, ferenoque; victusque ra-  
 tionem adæquatam, roborautem.

§. XXIX.

Ita enim cognita morbi indole, cogni-  
 tisque causis excitantibus omnium aliorum  
 morborum *curam confirmatoriam* sat facile  
 & perfecte absolves. —

§. XXX.

## §. XXX.

Interim cuilibet medico practico occurrant non raro morbi chronici nec arte, nec natura sanandi. In tali casu medico auxilium quærere in *cura palliativa* licet. Hæc quippe consistit in mitigatione symptomatum urgentiorum. Sit V. G. ulcus cancrosum nec arte nec natura sanabile; si adsint vehementes dolores, si noctes æger pertranseat infomnes, si frequentes patiatur hæmorrhagias &c. facta tristi prognosi nil aliud agendum erit, quam vehementiam dolorum mitigare, noctesque infomnes pacare usu anodynorum, paregoricorum, narcoticorum; ac hæmorrhagias semper recurrentes sedare methodo generali in hæmorrhagiis externis conveniente. Similiter in ascitide a causa incurabili orto scopo palliandi instituenda paracenthesis; per hanc enim symptomata ægro intolerabilia, uti sunt dolorifica distensio abdominis, impedita

dita



dita respiratio cum metu suffocationis, minus intolerabilia redduntur, & temporaneum saltem agro levamen adfertur.

§. XXXI.

Si medicus nulla hucusque demonstrata via ad cognitionem morbi pervenire valeat, si natura equidem nulla præstet auxilia ad sanandum morbum, superest nihilominus medium quoddam, quo medicus nonnunquam morbum debellare valebit. Est hoc *probabilis quædam, inque certis signis fundata suspicio*, qua indicationes adæquatæ interdum desumi possunt. Ad has autem ex suspicione quadam desumendas requiritur:

Imo ut nullo hucusque recensito modo medicus ad certam indicationem curativam pervenire possit: &

Ido ut remedium ex probabili suspicione indicatum talis sit indolis, ut si non profit, saltem non noceat.

Rem

---

Rem dabo in exemplo: pono militem epilepsia a causa incognita laborantem, extra paroxysmum alias semper perfecte sanum, excepto, quod ante hunc morbum semel contraxisset gonorrhæam veneream, fat negligenter, quemadmodum in hoc hominum genere fieri solet, curatam; pono insuper eundem multa in epilepsia specifica remedia sine fructu adhibuisse, nullaque characteristica luis signa apparere; in hoc casu (cum aliæ desunt indicationes curativæ, & si agrotantis corpus ita sit constitutum, ut a mercurialibus ingestis nil aliunde timendum sit) ex probabili luis venereæ latentis suspicione curam antisyphiliticam per mercurialia, aut ope hydrargyrosis per extinctionem instituere licebit.

---

CAPUT

## CAPUT V.

*Canones practici circa Curam morborum  
chronicorum.*

## §. XXXII.

Primo nosse oportet morbi singuli solemniorem durationem, idque magni momenti est, ne urgeatur morbus, & sanitas premature expectetur. Sit V. G. hydrops, in hoc curando sæpe erratur, datur remedium indicatum, non juvat in tres, octo &c. dies; medicus illico ad aliud confugit, mutat medicinam omni quarto, quintove die, qui si sciret solemniorem durationem, sciret etiam curam intra unam duasve septimanas non fieri. Ne vero nil mutare videatur, mutet formam remedii, sed manente eodem pharmaco, & lente festinet; sufficit si per aliquot septimanas protractis  
medi-

medicamentis res in pejus haud abierit, quod in hydrope praesertim frequens est. Morbi enim chronici ex natura sua diutius durant, adeoque non nisi curatione protracta plerumque removeri possunt. Prudenter in hanc rem dicit *Celsus*: „in acutis morbis cito mutetur, quod nihil prodest; in longis, quos tempus ut facit, sic etiam solvit, non statim condemnetur, si quid non statim profuit: minus vero removeatur, si quid paulum saltem juvet, quia profectus tempore expletur.” Hinc a remedio etiam laudatissimo, nec non exquisitissimo curatio velox plerumque non est expectanda. Monet hoc etiam *Sydenhamus* \*) dicens: „cum in morbis chronicis quamplurimis causa illorum in habitum & novam quasi naturam transiverit, nemo sanus existima-  
verit

---

\*) V. Tract. de podagra. p. 528.

verit leviculam aliquam ac momentaneam alterationem sanguini atque humoribus a quolibet five remedii five victus genere superinductam, curationis scopum posse attingere; at vero corporis habitus omnis alio traducendus est, atque homo integer deinceps quasi nova incude refringendus. „Et hoc in praxi ægris inculcandum est, nec fallaciis brevis curæ lactandi sunt: longe enim animosius & morbi & diuturnæ curationis tædia ferunt præmoniti, majoremque ponunt fiduciam in medico, qui vanis promissis illos nunquam deluserit.

§. XXXIII.

Ido. *Non in pejus abire est profiteri in morbo longo: Non quia nil melius adparet mutanda sunt medicamenta: tantamur quidem continuo mutare, sed vincere nos oportet.*

D

§. XXXIV.

## §. XXXIV.

IIIto. *Magnæ & repentinae mutationes non sunt faciendæ; & plures certe hac de causa mortui sunt. Corpus ægri male constitutum, & a morbo debilitatum non facile fert repentinam vehementemque mutationem; viresque succumbunt arti intempestivæ; per quod mortis hora nonnunquam acceleratur.*

## §. XXXV.

IVto. *Incipe medicamenta minutim & refractissimis dosibus; præsertim si talia dederis, quæ parva dosi efficacia sunt: V. G. mercurialia, antimonialia &c. Sæpe enim ob aliquid latens magnæ excitantur turbæ in ægri detrimentum, & medici ignominiam, præsertim a mercurio.*

## §. XXXVI.

## §. XXXVI.

Vto. *Positiva requiritur curatio in chronicis, raro negativa; uti sæpe fit in acutis. Sunt tamen medici, qui negativa contenti sunt; qui abstinere jubent ab iis, quæ nocent, & nil medicamenti adhibent: at eventus votis agri sæpissime non respondet.*

## §. XXXVII.

VIto. *Remedia in morbis longis usitata, ex classe resolventium, amarorum, gummi-ferulaceorum, eccoproticorum, rhabarbarinorum, tonicorum, frequentius repetenda. His Haenius quam plurimos curabat: V. G. decoctis ex taraxaco, scorzonerâ cum gummi-ferulaceis; & felix fuit in cura chronicorum.*

## §. XXXVIII.

VIIimo. *Maximi etiam momenti est vitium ad genium morbi oppositum indicare.*

Sic sæpe rebellis morbus feliciter curatur; si homo roborandus, utatur victu proportionato, non tenui.

§. XXXIX.

VIIIvo. *Non tentanda absque ratione remedia: si semel cum ratione præscripseris, non facile mutes; & omnes boni medici diu insistent.*

§. XXXX.

IXno. *Nonnunquam ad contrarium accedendum est: sæpe enim frigida juvant, ubi calida haud idem præstant. Si ergo & quid non juvet, sed potius in pejus revertat, & te ad contrarium (nulla interim præfente contraindicatione) vertere licebit.*

§. XXXXI.

Xmo. *Interim nosse oportet, dari quandoque casus, ubi nulla medicina opti-*

*ma*



*ma est.* Id in morbis incurabilibus sæpe locum habet: V. G. in morbis quibusdam organicis: in scirro E. G. qui sæpe optimis medicamentis tentatus in cancrum abit, & mortem affert. Aegri igitur prudenter in tali casu monendi, ut sua forte contenti vitam degant, quam etiam vitio præfente per longam annorum seriem ducere valeant.

§. XXXII.

Palmaria auxilia in chronicis a veteribus ad sequentia redacta sunt:

I. Imo ad victum.

II. Ido ad motum corporis.

III. Itio ad aquas varie medicatas, vel per modum balnei applicatas; Item ad electricitatem hodiedum, cauteria, fetacea, fonticulos, mercurialia, antimonialia, martialia, & tandem resolventia.

## CAPUT VI.

*Regulæ diæteticæ in morbis chronicis  
observandæ.*

## §. XXXIII.

Ut morbi chronici perfecte curentur, requiritur, ut præter remedia indicata ægro conveniens victus ratio præscribatur, & hæc ex parte ægri accurate observetur. Recte monet *Sydenhamus* dicens: „falluntur illi, qui in morbis chronicis omnem curationem folis medicamentis obtineri posse autumant. Nisi enim in cibo & potu temperantia obtineri possit, frustra plerumque medicina adhibetur.

## §. XXXIV.

At, licet accurata diæta in chronicis ad euram absolvendam stricte requiritur, peccaret

caret tamen non raro *nimia* sollicitudine  
 medicus, *nimis exquisitam* diætam ægris  
 diuturnis conflictatis morbis imperans.  
*Hypocrates* jam monuerat, errores longe  
 periculosiores esse, qui in tenui victu com-  
 mittuntur, quam si paulo pleniorum vi-  
 ctum quis concesserit; & absolute noxium  
 damnavit tenuem & exquisitum victum in  
 morbis longis. Nolebat quoque *Sydenha-*  
*mus* inedia macerari tales ægros; sic enim  
 vires perderent; sed tantum concedebat fa-  
 cile, quantum ventriculus digerere possit;  
 quin imo & palato ægrorum consulendum  
 voluit, licet & difficilioris digestionis cibos  
 appeterent, modo unica ciborum specie  
 contenti viverent, ne ciborum variis arti-  
 bus culinariis præparatorum illecebræ fa-  
 cerent, ut ultra satietatem comederent.  
 Sufficit ergo quoad qualitatem alimentorum,  
 ut ægri simplici victu contenti sint, & evi-

tent illa, quæ difficilioris digestionis esse noscuntur.

§. XXXV.

Simul semper est observandum, ut eligantur tales cibi, quorum spontanea indoles opposita est vitio humorum prædominanti.

§. XXXVI.

Quantitatem ciborum tutissime determinat fames: æger nunquam ad perfectam satietatem cibos assumat; sed semper cum appetitu quodam plus edendi a sumptione ciborum ulteriori abstineat. Melius enim est partitis vicibus alimenta parce sumere, quam simul & semel majorem Copiam ingerere. Post assumptos cibos æger non admodum gravetur; contrarium enim imperfectam notat digestionem, obstaculumque ventriculo a nimia repletionem oppositum, sat difficulter vincendum.

§. XXXVII.

## §. XXXVII.

De victu speciatim sequentia notentur:

*Victus tenuis* in acutis ut plurimum, *plenior* in longis annofis convenit; victus enim tenuis longa adfectione laborantibus novas adfectiones, debilitates nempe causaret.

*Victus vinosus* ibi locum habet, ubi roborare, ac excitare mens est.

Sæpe *victus mere vegetabilis* convenit; V. G. in pthysi suppuratoria; pariter & iis convenit, qui hæmoptoe, chronica inflammatione pulmonum laborant, quæ iis, qui ad pthysin dispositi sunt, collo longo, pectore angusto &c. familiaris; continuam enim quamdam inflammationem patiuntur: pariter convenit plethoricis, ubi sanguis detrahendus est, & nunquam ubi roborandum est; male enim dabis corticem peruvianum & martialia scopo roborante, si victum dederis mere vegetabilem.

D 5

*Victus*

*Vitæ lacteus* consistit in copioso usu lactis puri. Lac exhibetur vel coctum ne coaguletur, vel crudum, vel ex mammis haustum, ut tabe dorsali laborantibus, pthysicis & podagricis: Sed podagricis observationes *Cranzianæ* non prodesse notant; aliud est de sero lactis. Visum est in Nofocomio S. S. Trinitatis Viennæ 1783 lac podagricis, arthriticisque non convenire.

Universalior est usus *seri lactis recentis*, præcipue in biliosis, mucosisque, si aliis acuatur.

#### §. XXXVIII.

Regulæ diæteticæ in cura morborum chronicorum ergo ad has reducendæ sunt:

Imo. Diæta morbo fit opposita, & partem medelæ efficiat: alias infelix eris; quidquid enim per medicamenta efficis, per diætam destrues.

#### §. XXXIX.

## §. XXXIX.

II<sup>do</sup>. Consuetudini tamen, & vulgatæ opinionioni aliquid concedendum, id quod de vino quoque accipiendum est.

## §. L.

III<sup>tio</sup>. Res non ita nocivæ concedendæ sunt, nec medicum in his adeo morosum esse oportet, neque res parum aut non nocentes inhibere oportet, ut in reliquis ægrum habeas obedientem; fecus enim te invito assumet, quæ morositate tua impugnaras.

## §. LI.

IV<sup>to</sup>. Victum si mutare debes, id subito non fiat, sed pedetentim; si quis diætæ carneæ & vino affuetus fuerit, non simul & semel ad vegetabilem transire jubeas, periculum enim alterius morbi induces. Victus apud veteres primum erat remedium,  
&

& plus spei in vitæ genere, quam nos  
posuere.

§. LII.

Vto. Aliud præstans remedium est mo-  
tus corporis, quod fit emigratione, equi-  
tatione, itineratione, vectione, frictione-  
que. Juvabuntur itinerantes vel motu cor-  
poris, vel mutatione aeris, grata objecto-  
rum varietate &c. At bene notetur hoc re-  
medium constanter quotidie continuandum  
esse, si effectus inde prorumpent optati.

§. LIII.


VIto. Denique aer ad regulas diætetici-  
cas relegandus est. Oportet medicum be-  
ne sollicitum esse, ut æger in tali aere com-  
moretur, a quo nil noxii timendum. —

§. LIV.



## §. LIV.

Hiscæ diæteticis regulis facile obtemperabunt ægri, & magis morigeros se præstabunt ad reliqua præstanda, quæ longa sæpe horum morborum cura postulat. Contra morosos nimis in his medicos nacti, clam faciunt illa, quæ severe prohibita fuerant; & sic præcipua medicorum auxilia spernunt, & non raro sanitatem suam, & medici famam deperdunt. —



Hic...  
 Tabula...  
 Tabula...  
 Tabula...  
 Tabula...  
 Tabula...  
 Tabula...  
 Tabula...  
 Tabula...  
 Tabula...  
 Tabula...  
 Tabula...  
 Tabula...  
 Tabula...









Pathol. spec. 737<sup>m</sup>

